PAVLLI BERN. F. VIDALINI
ISLANDI
ODE
AD MELPOMENEN
VT
SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE
REGI AC DOMINO
FRIDERICO QVINTO
DANIAE NORVEGIAE VANDALORVM GOTHORVMQVE REGI
DVCI SLESVICI HOLSATIAE STORMARIAE DITMARSIAE
COMITI OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI
OPTIMO PATRIAE PATRI
PRO BENEFICIO VERE REGIO
IN SE NVPER COLLATO
GRATIAS AGAT ENIXISSIME

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA
CIϽIϽCCLVI

O quae pauperiem leuas

Duram, et diuitibus promeritis canens

Immortale paras decus,

Heroasque domo ſtellifera beas,

Dulcis Melpomene, poli

Audi me genitum in frigoribus tuum;

Me, quem re tenuiſſima
    Munitum patriis a Laribus procul
Ad cultam tibi Lipſiam
    Caſus per varios duxit amor tui,
Tantum mente valens proba,
    Quantum multa negat ſaepe pecunia.
Me vidit PATRIAE PATER,
    Quem felix DOMINVM Dania ſuſpicit,
Defeciſſe laboribus,
    Et vires ſtudiis iam nimis impares
Nudo praeſidiis rapi;
    Amiſſosque dedit ſumere ſpiritus

Nutu MAXIMVS vnico:

Poſt imbrem vt placidi vultus Apollinis

Afflictam Cererem fouet;

Aut lenis pluuiis erigit aridam

Findens aethera Iuppiter.

Accepiſſe tuo nos ea munere

Credam, Pieri, fas erit.

Tu ſummos Proceres, tu prece REGIVM

NVMEN flectere amabili

Noſti grata ſacris in penetralibus:

Votis ſupplicis et ſui,

Et non indocilis carmine, et officî

Qui nunquam foret immemor,

Vt vellent faciles, ſemper vti ſolent,

Se praeſtare, petentibus

Nil praeter patriae commoda et OPTIMO

REGVM viuere quod iuuet.

Nec miſit DOMINVS te vacuam retro,

Sed donis alacrem, mihi.

Quas TANTO referam PRINCIPE gratias

Dignas? quae labio rudi

Dicam verba pii pectoris indices?

O cui tot bona debeo,

O maiora potens, ſi libeat, dare,

Addas, Muſa, prioribus

(Nam tu docta vales) hoc, precor, vt feras

Pro me thura DEO, mare et

Qui vicina regit littora Balthicum,

Et Thulen rigido ſolo

In terris, licet, aſt ingenio et fide

Certe non ſimul vltimam,

Nunc primis ſimilem munere REGIO.

HVNC teſtudinis aureae

Semper chorda ſonet, ſe ſociam tuis

Sollers iungere cantibus:

Quam non vlla queant laedere tempora,

Dum nomen Boreas PATRIS
Aeternis meritis conſpicuum colet.
Sed me perdoceat fauor,
Mitis Diua, tuus ſic fieri bonum,
Vt REGIS ſapientia,
Et quae ſolliciti rebus opem ſemel
Ingens gratia iam tulit,
Dignetur minimum ponere me in choro
ILLIVS cupientium
Sceptris ac patriae viuere et emori.
Sic, quicquid Lacheſis neat,
Fultus nil metuam NVMINE DANICO.